



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Correctio fraterna est de necessitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

Correctio fraterna. 101

Correctio fraterna est de necessitate.

Correctionis fraternæ (qua quisque tenetur proximum suum corrigere verbo, quando oportet &c.) omisio, potest esse peccatum mortale, & veniale. Est enim præceptum huius correctionis de præceptis charitatis & eleemosynæ spiritualis. & ideo non quilibet venit corrigendus, sed indigens correctione. eleemosyna enim non nisi indigenti danda est. Et quia est præceptum affirmativum, obligat pro loco & tempore necessitatis: quando scilicet aliquis morte peccati detentus probabiliter creditur mea correctione liberandus: ita quod si credo, quod sine mea correctione resurget (puta quia est homo suæ conscientiæ scrutator) aut nullam habeo probabilitatem quod ex mea correctione resurget (puta quia nullam habeo illius notitiam) aut dubito, quod ægrè feret correctionem, & blasphemabit, vel nihil prodero, non teneor ad correctionem fraternam: quoniam tunc non sumus in casu necessitatis, quando scilicet aliquis morte peccati detentus, probabiliter creditur mea correctione liberandus: quia deest vel probabilis credulitas liberationis, vel deest necessitas meæ correctionis. Imò stante isto casu necessitatis, si non ex intentione, sed ex quadam tepiditate omitteretur correctio, non esset peccatum mortale, sed veniale: quia in affectu non præponitur bono fratris omisio correctionis, ex quo non intendit omittere illam, sed materialiter tantum omitteret, nisi tanta esset necessitas peccatoris ob ignorantiam forte, quod ratione notabilis damni imputanda esset omisio ista, & rediret in naturam suæ formæ ac si fuisset ex intentione, ut in aliis peccatis contingit. Est ergo omisio fraternæ correctionis circa peccata mortalia tunc tantum mortale peccatum, quando ex intentione fit in

102 **Correctio fraterna.**

casu quo creditur opus esse illius correctione ad liberandum à peccato mortali, & probabiliter creditur liberatio inde futura: quia tunc quantum fit formaliter contra præceptum correctionis fraternæ, veniale autem quum vel materialiter omittitur, nisi emergens damnum in mortali naturam reduceret, ut dictum est (materialiter autem omittit quicumque in animo fraternæ charitatis bonum proponens quibuscunq; bonis & malis mundi, omitti: quoniã talis non intendit subtrahere bonũ necessarium ad salutem proximi:) vel in aliis non mortalibus omittitur.

Nec mireris, quod in hoc præcepto diximus requiri probabilem opinionem de fructu correctionis: quoniam corrector tenet locum agentis, & corrigendus patientis: actus autem actiuorũ fiunt in patiente bene disposito. Et propterea, sicut oportet correctionem non ex voluntate, sed ratione accipere tempus, & locum, & alias occupationes & dispositiones corrigendi: ita non ex voluntate, sed ratione debet habere, si est fructuose susceptiuus suæ correctionis: quod est habere probabilem opinionem de futuro fructu.

Crudelitas excessiua peccatum est.

CRudelitas (hoc est atrocitas animi in poenis exigendis) hoc est mortale pro quanto excessum in puniendo ponit, crudelis enim causam puniendi habet: sed modum non habet, peccatque manifeste contra proximum, plus puniendo quam mereatur: ultra malam dispositionem proprii animi, qua seipsum foedat crudelitate.

*Curiositas secundum diuersa obiecta
dici potest vitiosa.*

Curiositas, cum immoderatum ponat appetitum cognoscendi siue per intellectum siue per sensum,